JACOBI RHENFERDII,
ARCHISYNAGOGUS
OTIOSUS,
ΑΥΤΟΚΑΤΑΚΡΙΤΟΣ.

Oſtendens

Paucis exemplis, quo pacto pleraque omnia, quæ nuperrime in *Decemviris Otioſis* Rhenferdio objecta ſunt, ex *Archiſynagogo*, & propriis Viri Cl. principiis, atque inſtitutis refutari poſſint.



FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYSELAAR, Ordd. Friſiæ atque eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCLXXXVII.

JACOBI RHENFERDI

ARCHISYNAGOGUS OTIOSUS

ΑΥΤΟΚΑΤΑΚΡΙΤΟΣ.

VIr *Clariſſimus*, qui olim *Archiſynagogum*, nuperrime *Decemviros Otioſos* edidit, quo facilius *Rhenferdio* hoc poſtremo libro invidiam crearet, cum in univerſo illo, tum in ipſa ejus inſcriptione, Clariſſimi *Lightfooti* cauſam agere vult videri. In inſcriptione, *In quo*, inquit, *Sententiæ Lightfooti de hoc argumento, non ita pridem à ſe acceptæ, ratio redditur.* Ex quo inſtituto etiam id præterea commodi exſpectat, ut ne tam ſuo judicio erraviſſe videatur, quam ſummi ingenii maximæque auctoritatis Viri imitatione. At ſi unquam illud Veterum Hebræorum, אין קטיגור נעשה סניגור *Accuſator hominis non fit advocatus ejus*, verum ſit, hic ſane etiam erit; cum ipſe Vir Cl. id ſibi laudi det, atque in eo ſerio triumphet, quod in hoc argumento de *Otioſis* primus à Lightfooto diſceſſerit. *Archiſynag.* pag. 22. *Johannes Lightfootus, qui peculiari ſtudio in id videtur incubuiſſe, ut expoſitum nobis daret* &c: *quædam conjecit in Annot. ad Matt.* IV. QUIBUS NESCIO AN HACTENUS SESE QUISQUAM OPPOSUERIT. & rurſum, *pene eo me deduceret audacia, ut Doctiſſimo Lightfoot, cætera hiſce in antiquitatibus verſatiſſimo, me opponere ſuſtinerem*, (in Diſp. Theol. de hoc argumento ita legitur: *ut.... erroris accuſarem.*) Id quod non tantum loco citato, ſed & alibi paſſim facit. Sic inter alia pag. 66. *Error enim non levis eſt, quod Doctiſſimus Lightfootus* &c: *quod quam vanum ſit* &c: pag. 373. *Sed contigit pene omnibus illis, ... ut ſæpe numero in errores inciderint graviores ... Id vero ſi de Doctiſſimo hoc Viro prædicemus, nullam illi faciemus injuriam.* Atque ita in genere, Vir Cl. omnes illos ex ordine *Otioſorum* ejicit, quos *Lightfootus* in eoſdem adoptarat. *Archiſynagogos* & *Judices Triumviros* eoſdem eſſe pernegat; *Chaſſanem* Synag. cum *Epiſcopo* Eccleſiæ conferendum eſſe, vehementer impugnat; *Diaconi in Synagoga* ei quam

maxi-

maxime *ficti* videntur; *Scholarcham Theologicum* ejuſque *Interpretem* in ordinem illum non admittit. Hoc ſolum ex ſententia *Lightfooti* retinet, quod illi *Decem Otioſi* & *neceſſarii* fuerint ad conſtituendam alicubi Synagogam, & *viri ſumme literati*, qui Synagogam gubernarent, aut aliud quoddam munus in ea obirent. Ita Vir Cl. ubique ſententiam *Lightfooti* de Otioſis illis impugnat, & tamen jam *Lightfootum* tantopere defenſitat.

In *Procemio*, & Cap. 1. Vir Cl. admodum contemtim atque invidioſe de *Rhenferdii* inſtituto loquitur, ut qui *eos tantum ſcriptorum illius articulos* aggreſſus ſit, *qui non tam validis argumentis quam ratiociniis & veriſimilibus conjecturis nitebantur, vel ſententiæ vulgi contrariabantur;* qui *materiam exigui momenti & nullius utilitatis, Otioſos,* tam *ſerio,* tam *ſollicite* &c: *tractaverit, rem nihili tanto conatu egerit.* At *Archiſyn.* pag. 22. *Lightfootus peculiari ſtudio in id incubuiſſe videtur, ut expoſitum nobis daret, quinam proprie fuerint decem illi Otioſi.... Quibus,* inquit V. Cl. *neſcio, an hactenus quiſquam ſe oppoſuerit. Ego vero... cum* VERITATEM IPSAM *ab iis... longe diverſam me apprehendiſſe judicem,* &c: *Modeſte tamen, & pio inſtituto, hoc eſt* VERITATIS *inveſtigationi* pag. 30. *Jubet ratio, ut* NOSTRAM *de* FAMOSISSIMO *hoc numero denario opinionem indicemus.* p. 31. 32. *At cum magna oppido Maimonidis auctoritas ſit, videamus an non is ſententiam noſtram alicubi confirmet.* Ibid. *Ego vero ex hoc teſtimonio velim obſervari, Maimonidem* NECESSARIO *intellexiſſe &c:* pag. 34. *Hiſce igitur jactis fundamentis videamus* &c: pag. 36. *certum tamen & mihi apparet,* &c: pag. 65. *Atque hanc ego genuinam eſſe puto narrationem* &c: *Certus enim ſum nihil quicquam ex genuinis Hebræorum ſcriptis ab aliquo produci poſſe* &c: pag. 435. *Id vero hic repetendum, quod non ſatis poſſimus mirari Doctiſſimorum quorundam Virorum non ignorantiam ſed pervicaciam* &c: Ex quibus prudens Lect. facile perſpexerit, & quanti *Viro Cl.* olim fuerint, quæ nunc, tanquam *rem nihili*, alto ſupercilio deſpicit; & quam *vera, certa,* & *neceſſaria* illi tum ſint viſa, quæ nunc *veriſimilibus conjecturis* tantum *niti,* & à *Rhenferdio* tanto conatu impugnata, Lectori velit perſuadere.

Cap. 11. pag. 13. & *Buxtorfium* & *Rhenferdium* incuriæ accuſat, (alibi hunc ſæpius *ſocordiæ* &c:) quod locum *unum* Cod. *Hieroſolym.* neglexerint, cum ipſe tot alia tamque inſignia prætermiſerit. *Rhenferdius* quindecim ad minimum loca *per incuriam* obſervavit; *Vir Cl. ſana ratione comite uſus, qua potuit fide & diligentia,* duo vel forte tria ad ſummum loca notavit, ubi *Otioſorum* mentio occurrit.

Pag. 5. Vir Cl. *Rhenferdium* inſignis *arrogantiæ & audaciæ* accuſat, *parem prudentiam, peritiam,* deſiderat. At pag. 13. *In Omni,* inquit,

quit, *Gemara Talmudis Babylonici... nihil aliud de decem otioſis exſtat, præter pauciſſima hæc, quæ deſcripſimus.* At tu, velim, Lector, judices, quantæ *arrogantiæ*, *audaciæ*, *atque imprudentiæ* ſit in Viro Cl. atque ejus & mei ſimilibus, *omnem Gemaram Talmudis Babylonici* crepare: quantæ *peritiæ* Talmudicæ, neſcire iſta loca, quæ in ipſo illo codice occurrunt, qui eſt ſedes noſtri argumenti atque controverſiæ. Occurrunt autem Cod. *Megillah*, pag. 21. b. Et ſi forte eo uſque nondum perveniſſe putes Virum Cl. legendo, quid de eo loco dixeris, qui eſt Ibid. fol. 3. b. Unde ne ipſa quidem hujus Codicis initia Viro Cl. inſpecta eſſe facile collegeris, etſi tanta arrogantia *omnem Gemaram* jactat. Eat nunc Vir Cl. & Celeberrimo meritiſſimoque *Buxtorffio*, qui indefatigabili tot annorum labore aureum iſtud opus elucubratus eſt, INCURIAM objiciat. Repetat nunc ſuos ſecum floſculos & inſolentes triumphos: *Nos ipſi tantæ ſecuritatis congreſſorem nolumus*, pag. 84. *Hoc negaſti. Teſtimonium contrarium habes. Fac nunc, obſecro, adſeverationi tuæ fidem, vel revoca dictum, & agnoſce ea omnia, quæ tanta cum animi tui fiducia diſputaſti, incerta admodum & lubrica eſſe. Hoc ni egeris, te minime dimittam.* pag. 104. Quæ aliaque his ſimilia in ipſum optume quadrare, cum ex hiſce ſpeciminibus liquet, tum nos alibi pluribus oſtendemus.

Vir Cl. poſteaquam ſenſit, *eſſe inter Interpretes Talmudis Jarchium & forte alios*, qui datæ ab ipſo *Otioſorum* explicationi per omnia adverſentur, id aliquot capitibus agit, ut cum reliquorum Judæorum peritiam rerum ſuarum & fidem in dubium vocet, tum inprimis *R. S. Jarchii*, quem *Rhenferdius* ſuæ ſententiæ autorem laudat. Hunc hominem *delirum*, *valde fabuloſum*, *ad fabulas valde propenſum*, *fabulis fingendis operam dare*, & neſcio quem non eſſe clamitat; adeo quidem, *ut hoc ipſo ſententia Rhenferdii de Decem Otioſis illi debuerit eſſe ſuſpecta, quod Jarchium autorem habeat.* Vide *Decem-viros Otioſ.* pag. 16. 36. toto Cap. VIII. imprimisque pag. 75. & 80. 81. pr. & med. Non lubet nec vacat nunc ea repetere quæ Viri Doctiſſimi jam olim de rebus Hebræorum ex *Scriptoribus Hebræis* repetendis monuerunt; non producemus *Joſephum*, *Euſebium*, alioſque aliis laudatos: Id nunc tantum oſtendere conſtituimus, quam magnifice Vir Cl. olim cum de cæteris Hebræis, tum imprimis de *R. Sal. Jarchio* loqui, quantopere illorum auctoritatem jactare & crepare ſolitus fuerit. De Hebræis univerſis hæc nunc occurrunt. Pag. 55. *Hebræos interpretes, quibus utique* (NB) *ſua in Lingua verſatiſſimis fidere oportet.* pag. 26. *Nos vero valde miramur Viri Nobiliſſ. confidentiam in determinandis Synagogæ officiis ex Pandectis Juris, quod ratio ſuadet ex Hebræorum ſcriptis fieri oportere. R. Sal. Jarchium* vero quoties & quantis laudibus extollit? Hunc

olim non dubitabat *Præſtantiſſimis* adſcribere doctoribus Hebræorum. Sic pag. 56. (coll. cum pag. 55.) *Notabile*, inquit, *eſt illud Salomonis Jarchii cujus fides apud gentem ſuam longe maxima eſt.* Neque apud gentem ſuam modo, ſed vel inprimis apud *Virum Cl.* Sic enim ille, pag. 57. *R. Salomo, quem aliquoties citamus, quia is in Talmudicis ſcriptis verſatiſſimus.* pag. 241. *R. Salomo, qui conſuetudinum antiquarum ſatis peritus eſt.* pag. 89. *Locus exſtat Ruthæ* Cap. IV. 7. *ad quem & R. Salomo notavit.... Scilicet Hebræorum Præſtantiſſimi hanc* גאולה &c. Ita quantivis pretii Virum Vir Cl. credebat, atque aliis etiam perſuaſum volebat, eſſe *R. Sal. Jarchium*, quamdiu *Rhenferdius* illo nondum fuerat adverſus ipſius hypotheſin abuſus. Neque aliter multo poſt ſentiebat, cum adverſus Cel. Coccejum ſcribebat, de *Templo Ezechielis*, Part. I. pag. 73. **Maar de voortreffelikſte van de Joden.... gelijk** David Kimchi, **ende** Salomon Jarchi. At quid nunc cauſæ eſſe dicas, cur tam ſubito *Jarchius* mutatus, & *delirus atque fabuloſus* factus ſit? Res ipſa ſatis loquitur. Deſperatio Virum Cl. eo adegit, ut vel manus dare debuerit Rhenferdio, vel ipſa principia negare, id eſt autoritatem ipſorum Hebræorum. Et ne dubites, Virum Cl. audi: pag. 74. *Salomonem*, inquit, *Iarchium volumus, ſententiæ de decem Otioſis, à Buxtorffio repetitæ, à V. Cl. illuſtratæ autorem.* Hinc ſc. illæ lacrymæ. Hunc *Buxtorffius* & *Rhenferdius* ſententiæ ſuæ auctorem habent. Hinc non immeritò Vir Cl. in illum omnem ſuam iram convertit, & ſplendidam bilem evomit. *Quicquid delirat Rhenferd, plectendus Iarchi.*

Pag. 17. Vir Cl. totus in eo eſt, ut oſtendat, *Cl. Lightfootum volentem & ſcientem (ne quis ex ignorantia id ab ipſo factum putet) ab explicatione Iarchii & Bartenoræ receſſiſſe.* pag. 18. vero *ſe id animadvertiſſe* ait, *& lubentem Ligtfooti exemplum voluiſſe imitari.* Non itaque ignoraſſe vult videri illa *Jarchii* loca, ſed certo conſilio neglexiſſe; quod clarius in dedicatione exprimit, fol. **. pag. 4. b. *Quod idem nunc apud alium legam, quod in Buxtorfio quondam legeram.* At Rhenferdium vehementer eo nomine exagitat, quod loca illa *R. Benjaminis* & *R. Niſſim* ignoraverit, cum primum ſcribere inciperet, cum tamen illa ſint *notatione omni digniſſima*, & *contra ipſum, Rhenf. quaſi prius inſpexiſſet, antequam illa ſcriberet, non ita audacter ſententiam dixiſſet.* pag. 15. & imprimis toto Cap. XI. Sed quo jure utrumque faciat, tuum, Lector, arbitrium eſto. Cum modo audiverimus, quanti ille *Iarchium* olim fecerit, quis illum hujus adeo negligentem fuiſſe exiſtimet, ut in hac cauſa, ubi ſe tanta fiducia *Lightfooto* opponebat, ne quidem audire ſit dignatus? ita ille *Hebræorum præſtantiſſimus* Viro Cl. jam tum ſorduerit? ita indignus & ineptus viſus ſit

ad teſtimonium dicendum? At notam fuiſſe illi *Iarchii* ſententiam, & *Buxtorffium* in conſilium adhibitum, quo vel leviſſimo indicio conſtare queat? quæ vola aut veſtigium iſtius rei in univerſo ejus libro? cur non occupavit iſta loca? cur non tum æque ac nunc in *Iarchium* debacchatus, ut intelligi poſſet, *Iarchii* fidem illi eſſe tantopere ſuſpectam? Cum *Ligtfootum* laudarit, ut *qui peculiari ſtudio in hoc argumentum exponendum incubuerit;* cur non pariter *Buxtorffii* mentio facta eſt? Cum *neſciverit, an hactenus quisquam ſe Lightfooti conjecturis oppoſuerit;* eccur non illam quoque, quæ iſti directe adverſabatur, & tot ſeculis antiquior, ſeu *Iarchii*, ſeu *Buxtorfii* ſententiam in medium protulit? De me vero quod ait, *nimis ſero* in iſta loca incidiſſe, quis aſſerenti credat? quis non gratis ab illo fingi animadvertat, ſi mea contulerit? Ipſa ſcribendi & diſputandi methodus exigebat utique, ut meam ſententiam prius diſerte exponerem valideque confirmarem, quam loca ulla producerem, quæ in ſpeciem ſaltem mihi adverſabantur. Et quod priorem locum *Benjaminis* attinet, quo Vir Cl. adeo inſolenter ſeſe effert, & tam *ſerio, ſollicite, copioſe & prolixè* triumphos canit; illum nobis minime ignotum fuiſſe, inde cuivis liquere poteſt, quod quando §. 20. negamus *Iudicibus, Profeſſoribus* &c. titulum dari *Otioſorum*, ita ſcribimus: *neque cum EX PROFESSO de Iudicibus, Miniſtris Synagogæ vel denique Profeſſoribus agunt, eorum ullus* בטלן *Otioſus appellatur.* Hæc cum ſcribebam, ſatis noram & meditatus eram *Benjaminis* locum: propterea addebam illud *ex profeſſo,* ut diſtinguerem inter Juris Judaici *Interpretes*, qui *ex profeſſo* quamque rem pertractant, & alios, qui *incidenter*, ut ajunt, & occaſionaliter voculam aliquam adhibent. Atque eo me reſpicere, quando hac formula utor, rurſum ex Diſſ. II. patet, Cap. XIII. §. 14. ubi eandem iterum eodem ſenſu adhibeo. Si vero Vir Cl. ignorat, quid ſit *ex profeſſo* de re quapiam ſcribere, id eſt, *ex inſtituto, dedita opera*, &c. diſcat illud prius à Logicis, quam *Rhenferdio* tam inſolenter inſultet: ſi vero noverit, uti procul dubio videri nolit iſtud ignorare, age, repeto veba mea, & ſic dico: *Quando Hebræi de Iudicibus vel Profeſſoribus EX PROFESSO agunt, illos nunquam Otioſos vocant.* Et Vir Cl. hic vires ſuas experiatur, atque oſtendat, vel *Maimonidem*, vel *R. Jacob*, in *Arba Turim*, vel alium quemcunque Juris Judaici ſcriptorem, vel ipſum Auctorem Libri *Colbo*, Viro Cl. adeo familiarem, unquam uſquam ſeu *Judices*, ſeu *Profeſſores*, dicere *Otioſos*. Hic Rhodus, hic ſaltus. Hic habebit, in quo Viri Cl. ſeſe jactitet ingenium & induſtria. Fruſtra ille Rhenferdium ſecum ipſo committere tentat. Magis *ſerio* & *ſollicitè* ille ſcribere ſolet, quam ut tam apertas & craſſas contradictiones non animadvertat. Sed & iſtud inde collegeris

B. L. qua *fide*, quo *candore*, Vir Cl. pag. 102. & 103. de noſtra *ingenuitate* & *candore* conqueratur. Quod vero alterum locum *Rabbenu Niſſim* ſpectat, illum non magis ignoravit altero iſto *Benjaminis*, ſed eandem ob cauſam fini debuit reſervare. Cum recenſuiſſet illa, quæ in rem erant; *atque hæc* (inquit §. xx.) *potiſſima ſunt*, *quæ de decem Otioſis hactenus apud Hebræos vel Chriſtianos invenire potuimus.* Non ita *omnia* eſſe dicit, uti Vir Cl. univerſaliter loqui ſolet, cum alia & in *Talmude*, (modo citatā) & in *Arba Turim* notaſſet; ſed *potiſſima*, quæ maxime in rem erant, & eam conficere poterant.

Pag. 85. Vir Cl. graviter moleſteque fert nos locum Talmudicum producere, qui ipſius judicio inſigniter ſit fabuloſus. *Locus*, inquit, *obſervatus eſt Seldeno & Lightfooto, quem eundem ex Babylonico prolatum elegantem & inſignem dicit V. Cl. forte quia elegantem atque inſignem fabulam docet, ex varietate relationis ſatis perſpectam.* At initio libri id de ſe Vir Cl. jactat, quod eam ſibi legem fixerit, *ut ſana ratione comite ex antiquis* FABULIS, *qua poſſet fide & diligentia veritatem produceret:* Cur ergo Rhenferdio minus liceat *inſignes & elegantes fabulas* adhibere, modo veritatem ex iis eliciat? Atque annon locus ille quantumcunque fabuloſus ſatis in id *elegans* & *inſignis*, quod Rhenferdio probandum erat, nim: *Tribunalia* & *Synagogas* eſſe loca prorſus diſtincta? Sive mille, ſive quadringentæ, ſive denique decem Hieroſolymis Synagogæ fuerint, Rhenferdii non intereſt, modo illud conſtet loca diſtincta eſſe; quod locus ille quantumvis fabuloſus tamen ſemper præſupponit.

Sed & aliud ibidem eſt, quod obſervationem mereatur. *Locus*, inquit, *obſervatus eſt Seldeno & Lightfooto;* ut Rhenferdium plagii arguat, vel minimum illud evincat, Rhenferdium primum non eſſe, qui iſtum locum obſervarit. Sic alibi paſſim, *poſt Buxtorffium*; *Buxtorffium ſecutus*; *Idem ante illum fecerat Lightfootus*, &c: Sed eorum nihil ſibi unquam vindicavit Rhenferdius, quin ipſe *Lightfootum* omnibus illis locis adducit, vel ſaltem de loco agit inter ipſum & *Lightfootum* controverſo, ut illum citare nihil haberet neceſſe. At Archiſynag. pag. 56. *Præter teſtimonium*, *quod ex Elia Levita ſuperius productum*, *notabile eſt illud Salomonis Jarchii:* Utrumque ex Cl. *Wagenſeilio* deſcriptum, uti ex eo evidentiſſime conſtat, quod quantumvis phraſin mutet, tamen evitare non poſſit, quin manifeſtiſſima furti veſtigia retineat, ipſum nim: Cel. Wagenſeilii errorem. Vide hunc ad Cod. Sota Cap. VII. §. 8. Sic quod ſequitur de τῷ ὑπηρέτῃ Luc: IV. 20. ab eodem eſt mutuatus. Nec minus, quod pag. 60. Cl. *L'Empereur* refutat. Ut & ipſam *Jarchii* explicationem *Archiſynagogi*, pag. 78. *Idem monet R. Salomo in annotationibus ad Sotæ* Cap. VII. §. VII. Ubi nequis dubitet, unde habeat, hæc verba faciunt: *quod idem ſuas in notas tranſ-*

ſcri-

ſcripſit Bartenora. Quæ ſunt ipſiſſima verba Cel. Wagenſeilii. Ita enim ille: *Ead. m in ſuas notas transſcripſit Bartenora.* Ita ſc: Vir Cl. poſt Wagenſeilium. Ut nunc taceam, quæ *poſt Grotium*, *Seldenum*, alios habeat, & pro ſuis venditet. Pag. 214. Vir Cl. nos punctationem vocis Chaldaicæ כרכין docere aggreditur. ſc: cum flexionis anomalæ eſſet, neque à כְּרַךְ diceretur כַּרְכָּא & hinc כַּרְכִּין / nos alicubi כְּרָכִין per (ָ) ſcripſeramus; Id Vir Cl. notat כְּרַכִּים punctari. Digna me hercle tanto Viro obſervatio! Tanto etiam majoris facienda, niſi peritiſſimus Grammaticus terminationem Chaldæam confudiſſet cum Hebræa. Sed ne ingrati videamur, minerval illi publice perſolvemus. Sic Vir Cl. in *Archiſyn:* הלכות in ſtatu regiminis, quem vocant, paſſim legit *Halachoth* pro *Hilchoth.* Pag: 356. *Maimonides Hal. Abodah Sarah.* p. 367. *Hal. Melachim.* p. 183. *Hal.* עבדים. p. 369. *Hal. Schabbath.* Imo הלכת in ſtatu conſtr. p. 142. lin 6. *Halacha Keriat Schemah.* p. 360. fine & 324. *Halachoth Niddui Vecherem.* Ubi etiam ו ante dictionem diſſyllabam penacutam *Schevà* habet, quemadmodum & p. 149. l. 1. בָּרְכוּ legit *Bircu*, ex Kal, pro *Barechu.* p. 193. & 149. *Kadiſch*, pro קַדִּישׁ *Kaddiſch.*

Sed quo delabimur? Paucis hiſce exemplis, Benevole Lector, oſtendere voluimus, quam ſolida & firmâ ſint, quæ Vir in *Decemviris Otioſis* nobis oppoſuit: quam juſti, quos tantopere canit, triumphi; quam graves cauſæ tantopere *Rhenferdio* inſultandi. Cæterum alias, neque enim nunc vacat, *Animadverſiones* dabimus, in *Decem Viros*, ubi miſerabiles Viri Cl. querelas, invidioſiſſimas accuſationes, & inſolentes, quos agit, triumphos, accuratius excutiemus. Interea pauculis hiſce fruere, Benevole Lector, & Vale.

F I N I S.

VA1 152 1710